Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

cum fundavit et rexit. Quantum autem eius apud dominum pa-
trocinia valeant, testantur gaudia populorum quos interpellantes
exaudit; testantur sanitates morbidorum quibus in va-
riis necessitatibus succurrit. Proinde non ut mortuum plan-
gimus, sed ut vere viventem nobis suorum precum subsi-
dio subvenire oramus. Neque enim ille nobis mortuus
est, qui totiens nos et corporaliter sanare facere parabat
et spiritualiter vivificat. Non est [...] preteriit. O quam vivit
absens quem tot cotidie mi- in rege regibus exempli
racula representant. Non est ociosus qui singulis nos
momentis suorum nos morum probitate et sanctissime vite
exemplis instruit et informat. O vere beatum et omni
laude dignissimum virum, angelis, apostolis, prophetis, mar-
tiribus, confessoribus atque virginibus non immerito compa-
randum: angelis cordis mundicia celestium contempla-
cione; prophetis noticia futurorum; apostolis et pastoralis cu-
re successione et predicationis imitatione; martiribus carnis
castigatione et miro desiderio; confessoribus divini nomi-
nis coram regibus et gentibus confessione; virginibus cor-
poris et mentis simul castitate. Quis talem tamque virum
digne cogitare, quis digne valeat laudare? Quis eius sanctitatem
non veneretur? quis eius insignis occultandis humilitatem
non miretur? Maiora sunt ista quam ut digne ea nostre lin-
gue ariditas valeat explicare. Non eget ille nostri ser-
monis preconio et nostra laudatione, qui tamen apud mor-
tales prodigiis clarus, qui tamen inter angelos et omnium
sanctorum choros in celo est glorificatus. Ubi nunc Christo coniunc-
tus pro nobis et servis suisque servitoribus apud ipsum in-
tercedat, qui cum patre et spiritu sancto unus deus vivit et reg-
nat per omnia secula seculorum amen.

Quia superiori — Liber secundus —
libello vitam et miracula sancti ac
beatissimi confessoris Christi Liutgeri
strictim percurrimus, nunc ea bre-
viter attingamus que post sanctum
eius obitum divina per eum gratia ope-
rata est. Nam sacrosancta illius merita
cunctis hinc inde
ad eum con-
fluentibus pro singulorum fide suffragari non cessant, qui-
busdam quidem longe manentibus, quibusdam ad eius
venerabilem memoriam degentibus, quibusdam quoque ad
illius sepulchrum meantibus vel inde domum regres-
sis. Unde est eum sim ut diximus aliqua de his que
vel ipsi oculis nostris perspeximus vel fideli relatione com-
perimus, quanta possumus veritate perstringamus.
Fuit quidam in pago quod Nortga vocatur nomine Ir-
mingerus, qui sancto Liutgero in iuventute sua serviebat.
Hic lumen oculorum amittens tredecim annis continuis
in cecitate permansit. Sed tanti viri servitorem divina
pietas diucius sine luce noluit esse. Siquidem nocte qui-
dam beatus ei Liutgerus per visum apparuit et eum nomi-
ne proprio vocans interrogavit si vigilaret. Quod cum se face-
re dixisset: Vade, inquit, dic Kindoni domino tuo ut te ad ec-
clesiam faciat perduci, quam in Werdina domino fabricavi,
ubi corpus meum sepultum est. Quo cum perveneris et coram
tumulo meo dei misericordiam imploraveris, pristinum ibi
oculorum recipies lumen. Deinde manu sua ut sibi vide-
batur faciem eius tangens: Ne, inquit, dubites me vere
tibi apparuisse, cognoscas in loco quo te nunc teneo colo-
rem cuti reliquo dissimilem fore. Ita expergefactus domino
suo visionem per ordinem narravit et signum quod vul-
tui suo imposuit ostendit. Mira res: colorem in eo loco cu-
ti reliquo iuxta verbum dei dissimilem omnibus diebus vi-
te sue permansisse. Tunc dominus eius ex signo quod ostenderat som-
nium verum esse cognovit et una cum coniuge sua ad me-
moratum monasterium perrexit et ipsum secum addux-
it. Et quia eo ibi tempore Gerfridus sancti viri nepos simul
et successor cum fratribus et monachis fuit, ipsis cuncta
que mandata et gesta erant narraverunt. Unde e-
undem Irmingerum in prefata ecclesia nocte insequenti
manere fecerunt. Ibi cum vigilasset et orasset, continuo
per dei gratiam pristinum oculorum lumen ipsa nocte secundum
verbum viri dei plene recepit. Eadem nocte quedam etiam
paralitica coram sepulchro viri dei posita eius opem suppli-
ci voto postulavit. Nec mora, repente sanitati pristine
In pago quod Sudergo appellatur: restituta est.
matrona quedam nomine Siburg colonum habuit no-
mine Nenoldum. Huius uxor longa egritudine depressa
sine aliqua spe recuperande salutis iacebat. Cum ergo noc-
te quadam inter gravia suspiria paululum membra defessa
laberentur in somnum, vidit in somnis quendam sibi pre-
cipientem ut cum Liutgero episcopo loqueretur. At illa, ut postea
ea narrare solebat, nec integre dormiens nec perfecte
vigilans, vidit illum stantem ad orientem visum.
Cumque illum reverentie intuitu alloqui non presumeret,
ille ad eam conversus: Probavi, inquit, pacienciam tuam. Proinde
ut cepisti pacientiam habe et dominus curabit te. Qua vi-
sione completa tantum vigorem corporis eius accepit ut ple-
ne ab ea memoria prioris molestie tolleretur. Ita facto
mane leta surrexit et sue restaurationis modum
enarravit. Unde vir eius et filii cum familia quam habe-
bant congratulantes et dominum benedicentes deinceps eum
gratiarum actione viri dei consueverat visitare sepul-